



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Cornelii Iansenii Episcopi Iprensis Avgvstinvs**

In Qvo Genuina sententia profundissimi Doctoris de Auxilio gratiæ medicinalis Christi Salvatoris, & de prædestinatione hominum & Angelorum proponitur, ac dilucidè ostenditur

**Jansenius, Cornelius**

**Lovanii, 1640**

8. Idem de spe ostenditur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13704**

## CAPVT OCTAVVM.

Idem de spe ostenditur.

**Q**UOD si intelligimus, quomodo fides ex sincera Dei charitate seu dilectione nascatur, nulla de spe reliqua difficultas erit. Cum enim spes quolibet sit quidam appetitivus motus, necesse est ut ex amore proficiatur, utpote qui sit illa prima coaptatio animi ad bonum, quo placere incipit. Hic igitur amor cum abest bonum, fertur in illud per desiderium, quod si fuerit arduum, etiam in adipiscendi spem erigitur, ut in eo adepto per gaudium fruendo requiescat. Amor igitur ille Dei, quo jam veritas & iustitia diligere cepit, in spem fruendi veritate vertitur, hoc ipso quo bonum istud magnum & arduum, quadam adipiscendi possibilitate blanditur. Itaque Augustinus in Enchiridio ad Laurentium de fide, spe & charitate disputans, ut sciremus, quid credendum sit, quid sperandum, quid amandum sit, sepius tradit spem sine amore esse non posse. Nam cum de fide discerneret & spe, ad tertiam istam virtutem charitatis veniens: Tam, inquit, de amore quid dicam, sine quo fides nihil prodest? spes vero sine amore esse non potest. Denique ut ait apostolus Iacobus: Et demones credunt & contremis-

In Enchirid.  
c. 3.

cunt, nec tamen sperant vel amant, sed potius quod speramus & amamus credendo, venturum esse formidant. Propter quod apostolus Paulus fidem qua per dilectionem operatur approbat atque commendat, quae sine spe esse non potest. Proinde nec amor sine spe est, NEC SINE AMORE SPES, neque utrumque sine fide. Vbi manifestum est, Augustinum de vero amore ac dilectione charitatis loqui. Quod vero ad fidem non postulat istum amorem charitatis, ratio est quia de fide loquitur generalius, prout & demonibus competit. Et in fine ejusdem Enchiridij: *Quamvis SPERARE SINE AMORE NON POSSIT, fieri tamen potest, ut id non amet, sine quo ad id quod sperat non potest pervenire, hoc est, ut non amet opera bona.* Et in Epistolam ad Galatas dicit opera esse facienda sine CHARITATIS aeterna SPERANTIS HINC PRAMIA, & ex fide expectantur. Quamobrem de utraque, tam fide quam spe in libro de perfectione iustitiae: *Charitas in celo augetur & implebitur contemplata quod credit, & quod sperabat adeptae.* Eadem ergo charitas est, quae contemplatur & credit & sperat.

In Enchirid.

In Epist. ad Galat.

Lib. de prof.

In Epist. ad Galat.

## CAPVT NONVM.

Spes Christiana non oritur ex amore concupiscentiae, sed genuinae charitatis.

**S**ED hic occurrunt Scholastici Doctores, quorum opinione non videtur charitas parere posse spem, eo quod hoc ipso quo frui cupimus ac speramus Deo, Deus non secundum seipsum ametur, sed ut obviamus nobis, sic autem amamus res quas concupisimus. Ergo amor ex quo nascitur spes, non est amor ille charitatis, qui Deum non nisi secundum seipsum, sive perfecte sive imperfecte diligit; sed potius concupiscentiae: ut proinde perperam dicatur spes ex vera Dei charitate proficisci.

Respondetur, saepe mihi admirationi fuisse, quod vulgo in scholis dicitur, spem hoc ipso quo frui rebus amatis cupimus, esse amoris concupiscentiae factum, quasi amor amicitiae sua spe & fruitione careat. Hoc enim principis etiam Philosophiae ex diametro repugnat. Amor enim quilibet non est alius, quam prima illa coaptatio animi ad quodcumque bonum, seu compiacentia ipsius boni; ad quod movetur per desiderium quando abest, in quo quiescit per gaudium seu fruitionem, quando praesto est. Hoc in amore tam concupiscentiae quam amicitiae est certissimum. Quid est enim

manifestius, quam amorem amici hoc ipso quo est amici amor, parere praesentiae ipsius desiderium cum abfuerit, & gaudium cum adfuerit? Quasi vero amatores auri torqueantur auri fruendi desiderio, & amici amicorum absentiae indifferenter ferant, vel amor amicitiae desiderijs rei amatae omnibus, & consequenter purissimis gaudijs destitutos sit. Et unde igitur apostolus inter fructus sancti Spiritus, hoc est, charitatis, ponit gaudium & pacem, nisi quia & sincera charitas objecto suo praesente quiescit, delectatur & gaudet? Si quiescit profecto etiam mota fuit, & mota nisi ex desiderio? Impossibile est enim ut is qui diligit vehementer aliquid, non desideret sibi praesto esse quod diligit, & gaudeat cum praesto fuerit, nec alio amore quam illo ipso quo diligit. Nam de amore quo mens seipsam diligit, qui maxime est amicitiae, imo plus quam amicitiae, quia radix omnis amicitiae, qua quempiam a se distinctum diligit, loquens Augustinus: *Quid est amare se, inquit, nisi sui praesto esse velle ad fruendum se?* Nullo igitur modo amor amicitiae & concupiscentiae ista ratione distinguuntur, quod hic objectum suum

Lib. 9. d.

Tert. c. 2.